

Carrasco, Bernardo

Oratio habita in matritensi gymnasio totius hispaniae nobilissimo, curriculo studiorum redauspicando XV Kal. Novembris / A.D. Bernardo Carrasco.

Matriti : ex Typographia Eusebii Aguado, 1840.

Vol. encuadernado con 9 obras

Signatura: FEV-AV-M-01425 (03)

La obra reproducida forma parte de la colección de la Biblioteca del Banco de España y ha sido escaneada dentro de su proyecto de digitalización

<http://www.bde.es/bde/es/secciones/servicios/Profesionales/Biblioteca/Biblioteca.html>

Aviso legal

Se permite la utilización total o parcial de esta copia digital para fines sin ánimo de lucro siempre y cuando se cite la fuente

ORATIO

IN MATRITENSIS GYMNASIO

ORATIO

DE BRICIO STUORUM RECALIFICANDU

HABITA

IN MATRITENSIS GYMNASIO.



MAJORE IN GYMNASIO RECALIFICANDU

3

e las glorias de la patria, un momento la hayamos
 en y honrarla, porque que la gloria de la patria
 es el alma de la nación, y el alma de la nación
 es el alma de la patria. — He escrito.

ORATIO

ATINAM

IN MATHEMATICIS GYMNASIO.

ORATIO

HABITA

IN MATRITENSI GYMNASIO

TOTIUS HISPANIÆ NOBILISSIMO,

CURRICULO STUDIORUM REDAUSPICANDO

XV. KAL. NOVEMBRIS,

A D. BERNARDO GARRASCO,

*Presbytero, Sacræ Theologiæ Doctore, Cathedræ Græcæ linguæ Antecessore, et
Classico Academiae Græcolatinæ Socio.*



MATRITI: EX TYPOGRAPHIA EUSEBII AGUADO.

—
MDCCCXI.

ΟΙΣΤΑΙΟ

ΑΡΧΑΙΑ

ΟΙΣΤΑΙΟΙΣ ΓΥΜΝΑΣΙΟ

Ὁ μὲν οὖν παρὼν καιρὸς, ὦ ἄνδρες, μονοουχί
φωνὴν ἀφείς λέγει, ὅτι τῶν ἑλληνικῶν ὑμῖν λόγων
ἀντιληπτέον, ἕπερ ὑπὲρ εὐτυχίας αὐτῶν φρον-
τίζετε.

DEMOSTH.

..... Vos exemplaria græca
Nocturna versate manu, versate diurna.

HORAT.



ΒΙΒΛΙΟΤΗΚΗ ΤΗΣ ΕΠΙΣΤΗΜΟΝΟΜΟΥ ΣΧΟΛΗΣ

ΑΘΗΝΑΙ

CUM omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, quoddam habeant commune vinculum, ut ait Cicero, quadamque cognatione inter se contineantur; et conspirare eas simul, et agmine quasi continenti progredi oportere, ut singulæ invicem sibi opitulentur, nemini puto inexploratum esse, cui ingenii gloria excitato contigit alacriter se, atque vehementer ad literarum studium contulisse. Nullo enim unquam tempore earum quamlibet excoli, efflorereque vidimus, quin mox cæteræ omnes haud impari studio, maximaque æmulatione excultæ, non modo mirificè effloruisse visæ sint, sed uberiores etiam fructus edidisse. In tanta vero luminis copia et claritate quod per universos Hispaniæ angulos diffundi hodie, atque protendi, non sine quadam animi elatione dicitur, ecquænam causa sit, cur græcæ literaturæ studium plerisque neglectui habeatur, ja-

ceatque propemodum obsoletum, mirari sæpissime soleo, dolereque, quotiescumque tantam humaniorum artium jacturam, teterrimumque universis scientiis infortunium ipse mecum tacitus animadverto.

Quod ne à me temere dici, aut levi duntaxat doloris acerbitate dici videatur, gymnasium hoc nostrum, ejusque nomen cum primis celeberrimum ex ingenti, quo à prima ipsius ætate ditatum fuit à Viro illo immortalitate dignissimo, omnigenæ doctrinæ censu, mecum paulo attentius cogitate. Quanta enim Compluti tunc temporis hominum doctissimorum frequentia! Quanta Poetarum, Philosophorum, Theologorum ordinis supremi multitudo! Quot clarissima eloquentiæ, jurisprudentiæque lumina! Atqui tot viros et ingenio acerrimos, et in omni genere disciplinarum perpolitos, græcam linguam, omnis literaturæ et elegantiae magistram, omniumque ingenuarum artium parentem, alticem, conservatricem, et interpretem præcipuam et fidelissimam, aut maximo studio coluisse, aut saltem ipsam fecisse quam plurimi, diserta eorundem scripta, nedum historia testatur.

Sed heu! Relanguit jam pridem, aut potius restinctus est vetus ille ejus perdiscendæ amor, et indefessus, pertinaxque animorum conatus. Hanc

autem haud satis deplorandam calamitatem in scientiarum, artiumque perniciem, non tam ex socordia studiosæ juventutis, et oscitatione contigisse habeo persuasum, quam quod plerique omnes ignorare videntur, quanta sit futuraque semper esse possit hujus linguæ ubertas, fruges, dignitas atque præstantia, quantasve opes iis, qui eruditissimi revera, doctissimique esse velint, ejus peritia assiduâ, et constanti optimorum græcorum lectione, et intelligentia recludat.

Ea propter igitur, cùm mihi ejus documenta tradendi publico munere perfuncturo, hodiernum quoque istud eximiâ vestrâ benevolentiam injunctum ne opinanti quidem accesserit, ut ad studiorum cursum alacrius instaurandum clarissimos adolescentes cohortari, atque inflammare contenderem (nam quid vobis opus est, integerrimis profecto magistris, atque doctoribus, ut vos ipse vestrum minimus officii commonefaciam?), nihil gratius, nihil fructuosius, nihil præclarius me facturum fore existimavi, quàm si in tanta cæterarum artium, scientiarumque gloria, et incremento (quod vereor tamen, ne plus æquo à nonnullis extollatur), ad studium insuper græcæ linguæ excitandum et promovendum, uti apud cultiores Europæ gentes nobis compertum est fieri, orationem hodiernam instituerem. Quod quidem ut

faciam brevissimè, id me potissimum monet, quod intelligam, sapientibus adloquentis esse, cavere scilicet ab ornatu, perspicuitateque sermonis, ne eam, quæ et decet et placet maximè, brevitatem disjungat.

Quamobrem vero latinum sermonem, posthabito hispano, uberrimo certè et amplissimo, præferre decreverim, id factum eo consilio volui, tum ut invidi quidam obmutescant sycophantæ, vel saltem illi pudefiant, qui illum à consuetudine Academiæ nostræ abhorrere perperam obloquuntur; tum quod non dubitem, quin, qui utrique juri interpretando, atque etiam Dei eloquio latinâ linguâ conscriptis assiduè incumbitis, latine loquentem, et de græca quoque, cui arctissimo nexu latina conjuncta est, disserentem, uti pollicitus sum, libenti animo sitis me socium vestrum audituri.

Itaque cùm immensa fermè sit eorum, quæ se ad dicendum offerunt, seges; idque illustrius ac gloriosius existimetur, cui vetustas etiam suam addiderit auctoritatem, non parum, credo, fuerit operæ pretium græcam linguam à remotissima ejus antiquitate commendare. Quæ sane tanta est, ut si Hebræam rebus duntaxat divinis destinata, ac terminis quidem angustis circumscriptam exceperis, quænam aliæ, quæso, cum nostra queat de originis principatu decertare? Nam cùm Athenienses, quo-

rum politior et exornatior est sermo, majores suos ἀντίχριστος fuisse gloriantur, quod certè vetustissimæ originis argumentum est ex ipsa traditione præclarum, hujusmodi linguam ipsis etiam cœvam extitisse, faciliè crediderim à nemine posse in dubium revocari. Cœli enim temperies, et situs, ubertasque regionis eas præseferunt commoditates vitæ, delicias et amœnitatem, quæ primævos ejus indigenas, ut stabiles, fixasque sedes inibi collocarent, allectos, ac quodammodo irretitos detinuerit; moxque civili statu constabilito, sermo etiam ipse ex artium cultura inolescens non diù post quaquaversum pervagari cœptus est, uti monimentis ex veteri memoria repetitis comprobatur.

Porrò apud Romanos quanto in honore græca lingua jam indè ab initio haberi cœperit, vel ex eo quilibet, etiam me tacente, faciliè cognoverit, quod eadem fermè literæ cum primis latinis à principio commoraverint. Quid igitur mirum videri debet, quod græcam linguam dicamus inexhaustam quamdam veluti scaturiginem esse, ex qua sibi latina non modo copiam ingentem commodato sumpserit, ac vindicaverit, sed amplissimas quoque græcæ facultatibus fortunatas, elegantiam nempe, nitorem, orationisque gravitatem comparaverit, maxima cum artium, et scientiarum cognitione? Quod quidem, ne

nimis morosus vobis esse videar, ex Cicerone ipso atque Virgilio, quemadmodum imitatione Græcorum romanum inter Oratores, et Poetas principatum obtinuerint demonstrans, nullo negotio confirmabo.

Primus enim, qui natus in posteritatis exemplum fuisse videtur, quique ea fuit non ingenii modo sublimitate, sed et animi confidentia, ut de jure suo non facile cederet, quippè homo erat laudis, et gloriæ cupidissimus, non ita tamen arroganter sibi tribuere ausus est, quin se conari quidem, Demosthenem autem proficere; se velle, Demosthenem posse, candidè profiteretur. Neque satis habuit vir eximius Demosthenem imitari, frequentique usu assequi velle, verùm Platonis etiam copiam, et singularem Isocratis suavitatem in seipso exprimendam, acri, assiduaque contentione, et studio conatus est, ut Quintilianus affirmat.

Atqui quantam ille demum eloquentiæ laudem, quantam in dicendo virtutem, vim, splendorem, et affluentiam consecutus est, quidquid egregium, et magnificentum in eo videas eminere, id totum Philosophis, Oratoribus, Poetis, et Historicis Græciæ sapientissimis, atque facundia, et eruditione celeberrimis, totum Athenis, quò se contulit sub præceptore græco erudiendum, expoliendum, locupletandum, acceptum referri deberi nemo inficias itu-

rus esse videtur, qui græci sermonis peritus animum senserit à Ciceronis lectione mira quadam suavitate ex Academia, Lyceoque effluxa delectari. Non enim eos, quos memoravi, Demosthenem, Platonem, et Isocratem sibi tantummodo ad exemplum proposuisse non difficulter quisquam cognoverit, sed in Hyperide quoque, et Lysia, in Aristotele, Theophrasto, Xenophonte, aliisque noctu, diuque pervolutandis, quamplurimum olei, otii autem minimum consumpsisse animadvertet.

Nimirum prudentissimus vir apes sibi imitandas fore intelligebat, quæ huc et illuc volantes, flores sagacissimè odoratæ delibant, et fingendis favis succos ita permiscet, ut tametsi nil exinde aliud quàm mel apparet, quibus succis illud confectum sit, illicò persentitur. Itaque cum orationem non oblectandarum aurium causa à natura nobis esse tributam ipse perspectum haberet, sed ut animus, cùm antea se rerum cognitione saturasset, alios etiam ad earum communicationem vocaret, utrumque ex Græcis sibi hauriendum ratus est. Et sanè de Platone præsertim ita magnificè sentiebat, Jovem ut ipsum, si græcè loqui vellet, non alio quam Platonis sermone usurum esse affirmaret. Aristotelem etiam jugiter, et diligenter lectitabat, qui, cùm rectè dicendi omnium optimè præcepta tradidisset, ea de-

num dicendi copia fuit, ut plusne in docendo, quam in dicendo antecelluerit, haud facile fuerit dijudicare. Certè illum idem Cicero fluvium auro fluentem nominare solitus erat, ipsoque uti quàm familiarissimè. Tacitus prætereo Xenophonem in deliciis habuisse, cujus ore Musas quasi locutas fuisse narratur, quemadmodum Theophrastum quoque, cui divinum hoc nomen præbitum fuit ab ipsa loquendi divinitate.

Possem etiam hoc loco quantopere coluerit Homerum, quamque effusissimè dilexerit, exponere, quem perpetuo duodetriginta seculorum tractu, tamquam omnis sapientiæ, omniumque scientiarum parentem nationes cunctas ad stuporem usque demiratas constat suspexisse. Et quidem, si mihi laudibus Homerum exornare contingeret, non alia eum digniori commendari posse existimaverim, quam, si quæ ille de Oceano cecinit carmina, eadem etiam ego de ipso commemorarem:

Ἐξ ὕπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα

Καὶ πᾶσαι κῆραι καὶ φρέιατα μακρὰ ῥέουσι:

aut, si quantum Virgilius latinorum omnium vates sine dubitatione princeps eam laudem consecutus est, ut ad summum Parnasi fastigium conscendere meruerit, majorem, et ampliorem Homero esse tri-

buendam, quemadmodum tribui oportere sentio, constantissimè asseverarem. Maximus enim omnium, quotquot ante se fuerunt, eruntque post se futuri, dicendus est, qui cum multis ante seculis, quam ulla Poetices præcepta tradita fuissent, extiterit, tanto ipse valuit ingenio, ut in binis poematis effingendis, divino quodam spiritu afflatus fuisse videatur: ac tandem eum habuit imitatore, qui licet epicam græcorum gloriam in magnum discrimen vocare visus fuerit, hucusque tamen à nemine non modo superari, sed nec exæquari potuerit.

Quid verò Hesiodum ac Theocritum commemorem, quorum imitatione Virgilius ipse tantus effectus est vates, antequam moliretur *Æneidem*, ut et *Bucolicum* carmen gracili quondam fuisset modulatus avena, et egressus silvis, egregium alterum, ac gratum agricolis opus perfecit, perindè atque quibusque sapientissimis ad ultimam usque perennitatem admirandum? Quid Pindarum, et Anacreontem, ac cæteros dulcisonos olores, atque luscianas? Quid demum Sophoclem, et Euripidem, quorum carmina digna cothurno, hac nostra tempestate, qua tragica potissimum ars tantopere in Europa colitur, extollitur, ac celebratur, facem hodieque præferunt iis, qui in sublimi hoc, et eloquentissimo Poetices genere ad novam theatri gloriam verè emi-

nere contendunt? Sed juvat potius egregio illo Horatii præconio, quod à tanto viro, giudiceque minimè suspecto tributum, nequit non esse laude dignissimum, cunctorum eloquia complecti:

Grajis ingenium, grajis dedit ore rotundo
Musa loqui...

quo quid majus, et honorificentius à Græcis ipsis potuerit, aut dici, aut excogitari?

Verùm si nos grandi, ac sublimiori dicendi genere, quod splendidis verbis, gravissimisque sententiis sese attollat, usuri, quænam nobis exemplaria græca nocturnâ, diurnâque manu versanda sint, ex his, quæ dicta sunt, luculentissimè perspeximus, jam porrò in alias quoque disciplinas oculos conjiciamus; non quibus verborum lenociniis, atque pigmentis aures suaviter demulcendæ sunt, non quibus affectus concitandi, aut quibus inflectendi, et emolliendi sunt animi; sed eas duntaxat potiùs, quarum munus totum est, ut veritates præcipuè eas mente complectamur, quæ in societate longè utilissimæ esse putantur, aut pernecessariæ. Atqui in his etiam mehercule primas Græciæ, ejusque linguæ esse meritò conferendas non inviti fatebimur.

Ut enim de Mathematicis loquar, quæ, teste Ci-

cerone, non tanti apud Romanos, quanti apud Græcos habitæ fuerunt, quàm ipsi ardenti studio, amoreque singulari easdem deperiissent, nemo, opinor, qui id ignoret, reperietur, nisi cui æquè ignotum sit vel unum extitisse Archimedem, naturæ ingeniorum parentis fœtum propè divinum. Sed et Platonem adèò in deliciis Geometriam habuisse constat, ut in Academiam hujus artis mirabilis cognitione imbutis aditus patêret, præterea nemini; qui programma hoc ad fores appendi jussit: *ἐδὲ ἐὶ ἀγεαμέτρης εἰσιτῶ* ut omnibus innotesceret. Etiam si verò nulla ad nos devenissent illius ætatis scripta, quantùm in Geometria profecerint Græci, satis superque ostendunt tot simulacra Deorum, tot virorum strenuorum effigies, totque Architecturæ græcæ reliquiæ atque fragmenta, quæ è ruderibus eruta, hodie cernimus, et admirationi, et imitationi munificentia Principum conservata. Sed supersunt temporis incuriam prætergressa, omnemque laudem superantia Euclidis elementa, quæ vel ipse Newtonus nostri ævi philosophus, et mathematicus sagacissimus suo calculo usuque comprobavit, haud mediocrem, uti dicere solebat, ex eorundem lectione utilitatem expertus.

Neque non veteribus omninò innotuit logarithmorum genesis, aut Algebræ speciosæ metho-

dus, aut prodigiosa lucis, colorumque natura, aut
 tricorporea Saturni majestas, plurave alia rerum
 pulcherrimarum inventa, quibus ætas nostra se
 meritò sapientiolem esse gloriatur. Non diffiteor. Ve-
 rùm cùm inventis, ut in proverbio est, addere fa-
 cile sit, quin prisca inventoris gloria quidquam pa-
 tiatur intertrimenti; cur in enuntiandis rebus no-
 vis, quæ à junioribus excogitatae sunt, aut inventæ,
 non à nativâ quilibet suâ, sed à græca lingua voces
 plerumque desumptas usurpant omnes, nisi quòd
 hæc instar Sapientiæ divinæ, cujus interpres om-
 nium antiquissima apud Ægyptios effecta est, in
 omni populo, omnique gente primatum teneat, at-
 que ex ejus plenitudine, quotquot hodie cultiores
 linguæ in Europa vigent, non modò tribus abhinc
 seculis, sed perenniter sunt etiam universæ copiam,
 et proprietatem accepturæ.

Meritò igitur hanc græci sermonis laudem ex-
 tollere coactus est, cum ad Pisones scripsit Hora-
 tius, flexilis ejus indolis ac mollitudinis certè non
 ignarus, neque imperitus.

. Si fortè necesse est

Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis

Continget, dabitur licentia sumpta pudenter,

Et nova, fictaque nuper habebunt verba fidem, si

Græco fonte cadant.

Quapropter dum huic suus stet honos, et gratia vivax, ut idem Horatius ait, sermonem patrium ditare, et nova rerum nomina proferre, et licet quotidie, et licebit semper, ut in Geometria, Astronomia, Optica, Statica, Dynamica, cæterisque mathematicis disciplinis quisque per se satis experitur, qui eas saltem à limine salutaverit.

Sed abs re fortassè non fuerit in hoc loco aliquantulum immorari. Quotaquæque enim, aut artium, aut scientiarum est, quarum technicæ, ac præcipuæ, quibus traduntur, voces non sint, aut omninò græcæ, aut è græcis ad novas aptiùs exprimendas res mirâ quadam facilitate conflatae? Quid Grammaticam, Rhetoricam, Poeticam, Dialecticamque commemorem, quæ ut à Græcis inventæ sunt, aut expolitæ, ita ab eisdem voces propè innumeras acceperunt, quas cæteræ deinceps nationes, suâ unaquæque civitate donavit? Quid etiam Medicinam universam in medium afferam, quæ Therapeuticam, Hygieinam, Anatomem, Chirurgicam, aliasque humanæ salutis adjutrices artes complectitur, è quibus, si voces à Græcis ipsis inventas, atque in communi loquendi modo retentas expunxeris, illæ mox hæsitarent elingues, et penitus obmutescere cogentur.

Quid postremò, si ad Philosophos, et Politicos

enumerandos accederem, quorum sectas, nedum nomina, me dies antè deficeret, quàm possem vel properanter recensere? Sed ò rem portentis similem, ac penè incredibilem! O pugnam tot, tamque solertium ingeniorum singularem! Quamquam enim, sive Stoici, sive Academici, sive Peripatetici, in multis, ut viris etiam doctissimis quovis tempore evenire solet, dissides dimicarent, in honestate tamen vitæ, morumque disciplina instituenda mirificè consenserunt. Una omnium fuit mens, et concors, stabilisque sententia, et pravas animi cupiditates coercendas esse, et virtutem unam rebus omnibus antefereendam. En igitur quàm multos, quàm egregios, quamque præclaros in Græcia magistros tùm indigenæ ipsi habuere, qui eloquentiam adamabant, qui in causis disertè agendis, qui in dicenda de publicis negotiis sententiâ summa cum laude versabantur, tùm exteri quoque innumeri, qui discendi causa, aut peregrè in Græciam confluebant, aut græcas literas sibi addiscendas putarunt, quibus domi postmodum possent philosophicas scientias sua ipsorum operâ, et scriptis illustrare.

Hinc Toxaris, et Anacharsis è Scythia Athenas philosophandi studio profecti sunt; et verò Anacharsis exstant græcæ quoque epistolæ perquàm elegantes, nec minus philosophiæ præceptis refertæ.

Eòdem etiam è Gallia legimus Phavorinum se contulisse, qui non modò plurima græcè postea conscripsit; sed et Romæ deindè, ubi vixit, multa sæpè græcè disputavit, ut Philostratus autor est. Prætereo, quot Syri, quot Thraces, quot Ægyptii in Græciam commigrarunt, qui perpoliendæ rationis cupidi, et studio arcana naturæ investigandi, perindè atque in morum, legumque doctrinâ proficiendi incensi, et inflammati, non aliundè tot humani ingenii opes, atque divitias se in patriam comportare existimabant. Etquidem, cuinam vestrum ignotum est, cum tantæ molis esset Romanam condere gentem, ac tanto operi ea substrui oporteret fundamenta, quibus Romanæ virtutis Imperium non aliis, quàm mundi terminis perpetuò consisteret, eos non postremo loco id consilii habuisse, ut legatis in Græciam missis, priscae illæ duodecim tabularum leges patrio sermone rudi, et impolito, sed brevi, gravique expressæ, in urbem inveherentur? Qui tamen ad eam amplitudinem, gloriæque culmen res suas præclare gestas et victoriis postea perduxere, et legibus, qui alienas emendicaverant, suis adèò confirmarunt, ut cùm cæteras fermè nationes sub sua tenerent ditione, memorabili illo Cæsaris Augusti edicto describeretur universus orbis. Tantam, tamque potentem majestatem à paucis legibus,

iisque græcis Senatus ille Populusque Romanus obtinuit!

Sed præstat iterùm in Græciam cogitatione redire, nec prius ex eâ discedere quàm duo totius illius nationis lumina, Platonem nempè, et Aristotelem, utpote maximos in re politica philosophos debito honore prosecuti, quàm optimè etiam meritos de humana felicitate suis lucubrationibus investigata demiremur. Ecquidnam etenim de optimis legibus, et institutis, quæ ad optimam rerumpublicarum formam stabiliendam, tuendamque pertinent, non copiosè tractarunt, nonve ornate, et eleganter posteritati tradiderunt? Quid non itidem de hominibus ad magistratus, et imperia assumendis? Quæ utinam sedulo liceret legere, ac præ oculis haberent, quibus munus commissum est ea in scholis nostris discipulis explanandi, ut majores nostros majori sapientiæ fructu olim fecisse constat, quippè sapientissimos! Atque utinam etiam memores illius Platonis effati apud græcos pervagatissimi, quo asserere solitus erat: *tum demum civitates beatas fore, cum aut philosophi regnarent, aut reges philosopharentur*, utriusque scripta consulerent, quicumque legibus ferendis ut plena cum potestate intersint, solemni, legitimoque civium suffragio deliguntur, aut cæteris sunt

civibus præficiendi, et eorum prospecturi saluti, et tranquillitati.

Age vero, quantum in scribenda rerum prisca-
rum historia eminerint illi, qui græcè eas ab obli-
vionis regione vindicarunt; quamve multas nobis
imagines non solum ad legendum, narrationeque
delectandum, verùm etiam ad erudiendum, et ad
imitandum fortissimorum, doctissimorumque viro-
rum expressas, quàm libentissimè commemorarem,
me nisi numerus ipse deterreret, aut nisi protra-
ctam longiùs, quàm par est, orationem nostram esse
animadverterem. Verumtamen nec molestum vobis,
nec injucundum fore confido, si tanto agmine qua-
si lustrato, eos præcipuè oculis vestris subjiciam, qui
nisi conscribendis veterum rerum historiis operam,
et ingenium adhibuissent, aut si eorum scripta fa-
to quodam intercidissent, homines, belluarum mo-
re, luce veritatis extincta, amissaque magistrâ vitæ,
in tenebrosa adhuc nocte, ac perpetua ignoratione
versarentur.

Nam ut de mundi, humanique generis molitio-
ne, de cataclysmo universali, de Israëlitico populo,
ejusque regimine et religione, quorum cognitio
emicare, ac propagari quaquaversum cœpit ex græ-
ca interpretum Alexandrinorum translatione; quid
de Assyriorum imperio, quid de Medis, quid de Per-

sis, quid omninò de cæteris barbaris nationibus, quid de Romanis non modicam quoad partem rebus, quid de Græcis ipsis, quid postremò, ut omnia uno quasi verbo complectar, de Christiana Religione, de mirabili Evangelii propagatione, de indefessa Apostolorum prædicatione, de stupenda Martyrum constantia, de prisca Ecclesiæ disciplina, de orthodoxâ Fidei Catholicæ expositione, de celeberrimis, iisque primis Conciliis in Oriente habitis, quid tandem factum fuisset, nisi tot rerum adeò amplam ac propemodum immensam eruditionis suppellectilem, græca lingua omnium, et vetustate, et ubertate, et elegantia procul dubio perfectissima, atque etiam de universis disciplinis optime merita, ad posterorum cognitionem, humanamque felicitatem scriptis verè immortalibus perennasset?

Et erit posthac ex vobis quisquam, clarissimi juvenes, qui à studio græcæ linguæ ullis laboribus absterreatur? Perfacilis est lingua, mihi credite; non inaccessa; comis est, civilis, et humanissima. Atque, si scire, ut Euripides ait, homini jucundum est; discere autem, ut Aristoteles est autor, est quàm maximè jucundissimum.

Itaque, vos, optimi juvenes, mihi homini bonarum literarum non penitùs rudi, aut experti, vestrique amantissimo credite, plus vobis ad germa-

nam eloquentiam, ad latinitatis nitorem, ad amplitudinem eruditionis, et ad cujuslibet scientiæ, quam singuli profiteamini, perfectam, numerisque omnibus absolutam acquisitionem, plùs, inquam, græci sermonis peritiam profecturam, atque studium veterum græcorum, quorum paulò antè in nostra oratione meminimus, aliorumque, quos tùm temporis angustiâ, tum consultò etiam prætermisimus, quàm multiplicem, atque diuturnam cæterorum omnium scriptorum lectionem. Ferte autem, rogo, æquo animo his me verbis vobis alloqui, quæ Demosthenes olim protulit atheniensibus: Ὁ μειοῦν παρὰν καιρὸς, ὦ ἄνδρες, μοιροῦχι φωνῆν ἀφείς λέγει, ὅτι τῶν ἐλληνικῶν ὑμῖν λόγων ἀπιληπτέοι, εἰπερ ὑπὲρ εὐτυχίας αὐτῶν φροσιζετε.



